

Leonardi BRUNI Aretini *Epistolarum libri VIII*, curavit L. MEHUS,
Florentiae 1741, II, pp. 36-40.

Liber Sextus, I.

Leonardus Marrasio Siculo S.

[36] *Qualem furorem poësis adesse oporteat.*

Fons quidam, si fabulis picturisque credimus, esse perhibetur, in quo senes demersi juventam recipient. Optandissimae prophecto lymphae, et quas operae pretium sit de Hibernia Taprobanam usque pereginando disquirere. Sed aliis quidem ubi [37] nam gentium reperiantur, investigare sit cura: michi vero tu nunc carminibus tuis mirabilissimi fontis latices, ut vere dixerim, superfudisti. Iuvenescere profecto me sensi statim, atque illa perlegi, graviorique deposita aetate ad juventam reduci. Natura hoc fieri dicemus, an alia quapiam ratione, ut in eorum affectuum, quos attente inspicimus, similitudinem traducamur, quod in risu et fletu licet intueri? Te igitur amantem inspiciens, ac toto affectu effuse loquentem dispeream, ne ipse quoque amare incooperim. Sed ante omnia illud discutiendum est, quod de furore scripsisti inquiens: *indulgere velis nostro Arretine furori.* Id alias forsitan aliter, ego certe sic accipio, quasi laudis furor sit, non vituperationis. Sunt enim furor, ut a Platone traditur, species duae: una ex humanis proveniens morbis, mala profecto res ac detestanda: altera ex divina mentis alienatione. Divini rursus furoris partes quattuor: vaticinium, mysterium, poësis et amor. His vero Deos totidem praeesse veteres putaverunt. Nam vaticinium Apollini, mysterium Dionysio, poëticam Musis, amorem Veneri tribuebant. Et vaticinium quid tandem sit, nemo fere, qui modo quicquam legerit, ignorat. Est enim divinatio vaticinatio quaedam, sed non omnis vaticinatio, sed non omnis divinatio vaticinium est, sed illa tantummodo *magnam cui mentem animumque Delius inspirat vates, aperitque futura* (*Aen.*, VI, 11-12), ut Maro inquit. Nam aruspices, et augures, et conjectores, ac caetera huiusmodi turba, nec vates ipsi.

quidem sunt, nec eorum opus vaticinium est, sed sanorum hominum prudentia et ingeniosa rerum conjectatio. Mysteria vero circa religionem, expiationesque et propiciaciones divini numinis versantur, cum vehementiori quadam mentis concitatione, qualia in sacris libris permulta ad placandam caelestem iram quibusdam suppliciis factitata leguntur. Poëma quoque eandem fere determinationi recipit, quam et de vaticinio supra dicebamus. Non enim omne opus poëma est, ne si versibus quidem constet: sed illud praestans, illud hac honorata nuncupatione dignum, quod afflatus quodam divino emettitur. Itaque quanto vaticinum conjectioni dignitate praestat, tanto poëma quod ex furore sit, sanorum hominum artificio est anteponendum. Hinc illae sunt a bono poëta quasi vesani hominis emissae voces ...*unde jubetis Ire Deae?* (STATIUS, *Theb.*, L. I, 3-4), et Virgilius: *Dicam horrida bella/ dicam acies, actosque animis in proelia reges,/ Tyrrenamque manum, totamque sub arma coactam/ Hesperiam, major rerum michi nascitur ordo,/ maius opus moveo...* (*Aen.*, L. VII, 41-45).

Quod totum vaticinum more prolatum est a poëta. Quid ergo vaticinum, quid mysterium, quidve poëma, hactenus michi dictum sit. Nunc autem illud ostendendum est, has furoris species de quibus supra diximus, non esse malas. Primum enim, ut a mysteriis incipiam, quis alienationem istam ac furem, et quasi abstractionem, raptumque hominis circa rem divinam dixerit esse malum? Quis vero non bonum, atque laudabile? Amplo me in loco versari sentio. Extant enim exempla pene innumerabilia divinorum hominum, si forte liberet hac in parte orationem extendere. Sed prolixitatem in re cospicua rejiciendam censeo. Circa mysteria igitur furem non esse quoque malum constat. Quid autem vaticinii furem? Illum non esse quoque malum constat. Quid autem vaticinii furem? Illum non esse quoque malum vel ex eo patet, quod bona permul[39]ta ab illo proveniunt. Sybillae quoque, et huiusmodi furentes quidem dum essent, publice et privatim multis profuere, sanae vero exiguis, aut nullis. Poëtae quoque tunc demum boni existunt, cum suo illo corripiuntur fure. Qua de causa vates eos nuncupamus, quasi fure quodam correptos. Qui vero absque furem Musarum poëticas ad fores, ut inquit Plato, accedit sperans quasi arte quadam poëtam se bonum evasurum, inanis ipse, atque ejus poësis prae illa, quae ex fure est, haec, quae ex

prudentia, disperditur. Poëtarum ergo furor a Musis est, amantium vero a Venere. Oritur autem hic ex verae pulchritudinis contemplatione, cuius effigiem visu intuentes acerrimo, ac violentissimo sensuum nostrorum stupentes, ac velut extra nos positii totis affectibus in illum corripimur, ut non minus vere, quam eleganter dictum sit, amantis animam in alieno corpore vitam ducere. Haec igitur vehemens occupatio animi, atque correptio amor vocatur, divina quaedam alienatio, ac velut sui ipsius oblivio, et in id, cuius pulchritudinem admiramur, transfusio. Quem si furorem ac vesaniam appellas, concedam equidem atque fatebor, dummodo intelligas, neque poëtam bonum esse illum posse, nisi huiuscmodi furore correptum, neque perfecte atque eximie Deum coli, nisi per hujuscmodi mentis alienationem. De furore igitur hactenus michi dictum sit provocato verbis tuis. Evidem si talis est furor tuus, qualem ipse modo decripsi, non modo indulgeo illi, quod me flagitas, verum etiam ultro te ad illum cohortor. Qui enim amorem vituperat, quid tandem dici potest, nisi dignum esse illum, qui extremo in odio cunctorum versetur? Sed haec satis in epistola praesertim, quae longitudinem renuit, Carmina vero ipsa tua, atque hanc scribendi amoeni[40]tatem adeo probo, ut inter Nasones, Propertios, et Tibullos te extimem collocandum. Hi enim emendatissime ornatissimeque omnium elegiam scripsisse putantur. Sed unum scias volo, me non tam tibi eximiam hanc palmam esse tribuendam existimare, quam amori. Ille est enim, qui verba tibi dictat, qui sententias ostendit, qui varietatem, et copiam, et elegantiam subministrat. Quod vero me tantopere laudas carminibus tuis, fateor, idem michi, quod Temistocli evenire. *Sed non ego credulos illis.* Nam conatum esse me atque conari, ceterum longe abesse: te vero nequaquam adulatum, sed benivolentia mei deceptum intelligo. Vale, et quotidie scribere aliquid, ut facis, dignum amore, et Musis ne cesses. Gloria quippe agendo periclitandoque acquiritur. Nec spectantibus coronaee, sed certantibus parantur. Iterum vale.